

Codice scheda: ASC A4530116 (Microscheda: 3922E4/11)  
Luogo e data: TORINO - 27/07/1904  
Autore: RUA MICHELE  
Destinatario: PIO X  
Classificazione: Rua: Corrispondenza con S.Sede  
Tipo documento e supporto: Supplica, Richiesta - Manoscritto  
Autenticità: Firma autografa

Contenuto: Supplica l'approvazione dell'associazione dei C.S. come terza famiglia sales. che si esercita nella cristiana carità come mezzo di santificazione e aiuta i giovani nella loro cristiana educazione [Testo in latino].

*Lettera Pontificia  
confermando privilegia indulg  
coloco che continuis op. extendam*

*Beatissime Pater,*

*Sac. Michael Rua, Supremus piae  
Salesianae Sodalitatis Moderator, et  
Sacrarum Virginum, quibus est nomen  
a Maria Auxiliatrice, atque Coopera-  
torum Salesianorum, ad pedes Tuos provo-  
lutus, emisse adprecatur, ut pro Tua benevo-  
lentiā, si Tibi aliter videatur, hanc piam  
Cooperatorum Salesianorum Societatem,  
populo christiano atque universo Clero,  
per aliquam Epistolam velis commendare.  
Et his enim quae sequuntur, satis for-  
tasse patebit, quanto sint Nomini Chris-  
tiano profutura, et in primis juventuti,  
in cuius utilitatem maxime profluunt.  
Romani Pontifices, quo facilius divinum  
sibi munus permissum adimplerent,  
sollerti semper opera et peculiaribus saepe  
rationibus piorum coetus in Ecclesia  
adprobare consueverunt.*



Quorum antiquissimum exemplum sacri Praesules jure secuti, suis in Dioecesibus Sodalitates quasdam exererunt, quae illuc omnino spectabant, ut nonnulla beneficentiae atque pietatis munera inter Christifideles proveherentur.

Eandem omnium fere religiosarum Familiarum Patres legiferi hoc salutare exemplum amplexati, suffragantibus Pontificibus Maximis, alium quoque piorum Ordinem sibi adiunxerunt, quem Tertium appellarunt, ut ejus socii vel in aedibus suis manentes, homini christiano aliquod ex more incrementum adferrent. Quam obrem nil mirum si nostris etiam temporibus nonnullae hujus generis Societates, benevolentissima Dei providentia unice confisae, sint exortae, quae aptius saeculi placitis consonae, ad majorem Dei gloriam obtinendam, animarumque salutem commodiores esse videntur. His sacris Societatibus est utique adnumeranda Salesianorum Cooperatorum Sodalitas, quam Joannes Bosco sacerdos, et nostrae Salesianae Familiae auctor, condidit; de quo, Leo XIII magnus Antecessor Tuus nobis maxime meritis, scribere haud dubitavit.

« Deo excitante et ducente, tam multa tamque  
« utilia in ejus nominis gloriam, in commoda  
« juventutis, in salutem animarum modis  
« est, feliciterque tota vita perfecit (1). »

Salesiani enim Cooperatores, quamvis  
Domi maneant, nec fere ulla preces vel  
poenitentiae opera ex suis Constitutionibus  
publice expleant, nec ullum signum prae-  
ferant, tamen ex consilio Parentis nostri  
suavissimi, nobis adesse debent veluti piae  
Salesianae Societatis ordo, qui praecipuis ae-  
tatis nostrae necessitatibus plenissime respon-  
dentes, admirabili christiana caritatis  
exercitatione ad suam sanctificationem  
maxime contendant, et illuc summo opere  
studio incumbant, ad pueros, rudes ac pau-  
periores praesertim, rite excolendos christia-  
neque docendos.

Nunc autem ingravescentibus undique  
periculis in puerilem aetatem, credulam  
et mollem nimis pravorum exemplo,  
quo ipsi sunt adiumento, neminem laet.

Omnes enim cernimus quanta a lacri-  
te, cuncti pravi hujusce nostrae aetatis  
homines ad alliciendam sibi juventutem

(1) Litt. ad Mich. Nova Jac. die XVIII Sept. anno MDCCCXCIII.

adlaborent, nec ulli parcant curae, nec  
artem praetermittant, dum modo tenellas  
puerorum animas, in ipso iuventutis flore,  
a sanctae Matris Ecclesiae piissimo sinu  
nefarie abripiant. Huc spectat pravorum  
librorum ac ephemeridum immanis collu-  
vies in dies in lucem edita; huc procaces  
imagines arte photographica aliisque  
recentioribus inventis depictae; huc scholae  
apsla et Collegia quae nullam prorsus religio-  
nis speciem portendant; huc demum vel  
ipsi parentes ac magistri prolabantur, qui  
veluti occulto ac diabolico sacramento ini-  
tiati ad eorum perniciem grasantur.

Hinc novum sane spectaculum de se proe-  
bet hodierna iuventus, quae exlex, effrena,  
omnibus malis artibus imbuta semperque  
inhians pejora, ad ultimum ruit.

Quibus de causis piorum religio sperni-  
tur, sacrorum ministris posthabitis, virtutes  
conculcatur et vitia quaeque in omnem  
civitatem jugiter ingruentia, palam ac  
quasi plena manu ad coelum efferuntur.  
Etenim si radix sancta, et rami (1); at  
ex mala radice mali rami procedunt

(1) Ad Romanos, cap. XI, 16.

fructusque nequiores.

Quapropter, qui huic malorum flumini undequaque irruenti obsistere ex animo student, amplissimis laudibus esse digni videntur, quique in hominum exemplum proponi prae caeteris merentur.

In his Salesianos etiam Cooperatores recensendos procul dubio esse credimus.

Horum enim Constitutiones in primis hoc sibi volunt, et nihil aliud est ista Societas, quam: Pita seu ratio bonis moribus tutandis ac civitati universae rite consulendae. Quare hunc coetum fovere, ac ubique terrarum benigno prosequi favore, religionis ac publicae utilitatis eximium videtur officium. Namque, omnibus sane pietatis operibus, Salesiani Cooperatores jamdiu religionis Operibus rite obsistunt, et praeterquam quod sunt optimum fulcrum piae Societatis nostrae, ejusque inceptis robur, quae ex ritu exercent, ipsi bonorum librorum diffusionem inter populum curant, cultus sacri Decorem ac Sacramentorum frequentiam promonent, sineae Domini novos Operarios suppeditare strenue contendunt, et Missionariis apud exterarum ac barbararum regiones



ad laborantibus large subveniunt; et quod nullis laudibus fas est digne celebrari, juvenes utriusque sexus, ad pericula proximiores, singulis diebus festis, quae suprema hac tempestate esse juvenibus salutis ratio videtur, seduli inter sacras aedes cum hortis de consilio congregant in christianam disciplinam alliciunt ad diversandum, ut haud procul ab urbe, vel in ipsis muneribus, adolescentibus moribus et ludis rite tutandis omni opere indulgeant. Ita multis in urbibus et oppidis, nec in Italia solum, sed etiam in exteris nationibus, brevi tempore, eorum ope ac consilio, hospitia et Collegia quamplurima aperta sunt; aliisque instituta in bonum juventutis ac commodum, et eorum qui identidem vel necessitate compulsi, vel novarum rerum cupiditate abrepti ex patria cedunt et alienas regiones petere consueverunt. Quam Societatem, hoc ipso nomine, multum de Religione ac de civitate bene meritam esse, libero nos ore fatemur. Quae quidem praecellera ejusdem merita facile innotescunt, omniumque approbationem ac favorem sibi cunctis temporibus adsciverunt.

Ipse enim Pius IX. felicis recordationis,  
Litteris in forma Brevis ex Vaticanis Aedi-  
bus datis, die IX. Maji anno MDCCCXXXVI,  
insignibus privilegiis ac indulgentiis eam  
cumulare voluit (1). Deinde saepe suam  
in Ipsam fiduciam ostendit de futuro ac  
mirabili incremento. Solebat enim Pius  
IX. eundem Patri nostro familiarissime,  
qui erat mos, dicere: «Tempus adveniet,  
«quo omnes catholici in Cooperatorum Sa-  
«lesianorum Societatem conveniant eique  
«coalescant.» Quod si Deo adiuvante, forte  
acciderit, nimis mihi amor intellectui nostro  
officiat, vos Salesiani, cum in praesentia-  
rum nihil carius atque optatius habea-  
mus, quam fideles Sanctae Romanae Sedis  
milites ostendere ejus jura adferere, vel  
nostros Cooperatores religione ac pietate  
fretos, utiles erga Romanos Pontifices ali-  
quando futuros esse confidimus.



Leo vero XIII, qui tempora rectissime  
noverat, Salesianos Cooperatores et Ipse  
commendavit; et hanc gloriosam senten-  
tiam est professus: «Praeclare de religione  
«ac civitate promereri eos, qui Salesianae

---

(1) Ut in Libello hic annexo prospici potest.

« Familiae coepta ac labores favore utilique  
« opera prosequantur (1). »

Ad haec primus inter illos et vocari passus est, et pro benevolentia sua esse voluit; Poemque aliis privilegiis ac indulgentiis eos ditavit, atque omnibus bonis auspiciis tres ipsorum universales Conventus est prosequutus; quorum primus collectus ex Borussiae alter Bonis Curis in Novo Orbe tertius autem, vix anno elapso, Augustae Taurinorum, pluribus Episcopis ac S. R. E. Patribus Cardinalibus adstantibus. Quo factum est ut Sociorum numerus mirum prorsus in modum augetur, ac pietatis et beneficentiae opera multiplicarentur.

Per centis enim circiter millibus hominum, pia Salepianorum Cooperatorum constat hodie Societas, inter quos viri ac mulieres, tum loco, tum numeribus, lectissimi; hujusce vero Societatis Ephemerides novenis linguis, italica nempe, gallica, hispanica, Rusitana, britannica, belgica, germanica, hungarica atque polona, singulis mensibus, numero ducentorum et quinquaginta et amplius millium

---

(1) Litt. ad Em. Card. Domin. Stampa, die II Apr. MDCCCXCV.



exemplarium, in lucem eductur.

Suae ut omnia fausta feliciterque  
cedant. Te, Beatissime Pater, qui jamdiu  
speciali animi benevolentia Salesianae  
Familiae coepta ac labores adiuvisti,  
quique anno MDCCCXXXV, Augustae  
Caurinorum, Fundatorem nostrum Ipse  
benevolentissimus adiisti; ac Martuanus  
Episcopus primum, dein Venetiarum  
Patriarcha renuntiatus eodem nos semper  
es prosequutus amore; quique, admirabi-  
li Dei consilio, ad Pontificium solium  
evectus, nos fere quotidianis amoris pa-  
terni pignoribus et cumulasti et cumulas;  
infrascriptus Orator demipse Teo instanter  
obsecrat, ut praedictam Salesianorum  
Cooperatorum Societatem insigni Tuo Docu-  
mento, pro Tua benigna voluntate diles  
atque honestes; quo ipsa potissimum spe-  
ctat declares, ipsius finem singulis Dioce-  
sibus ac Paroeciis providentissimum exponas,  
indulgentias omnes ac quaeque privilegia  
a Tuis Antecessoribus lata confirmes  
ipsamque universo Clero ac populo Chris-  
tiano Apoptolica Auctoritate commendes,  
ut Salesianorum Cooperatorum Societas  
ubique terrarum, ad Dei gloriam majorem,



ad animarum salutem, ac praesertim  
ad puerorum periclitantium praefidium  
in dies efflorescat.  
Quod etc

Augustae Taurinorum 27 Julii 1904.

Sac. Michael Riva  
Rector Major